



1.  
2.  
3.  
36  
4  
5.  
6  
7.

1704.

1. Nepinus Franc. Alb.: De alapar, iurioso Christo  
patientis inflicta.
2. Tectius, Franc.: De legitimis. I. scripturas una  
scripturas.
- 3<sup>a</sup> Grapins, Zacharias: De concionibus artificioris  
et aliamodis.
- 3<sup>b</sup> Guentling, Joh. Petr.: De vitandae privatae  
communionis separationis.
- 4<sup>a</sup> Müllerus, Casp. Matthaeus: De osculo meo.  
2 Gump.
5. Schnepffer, Joh. Fraktion fac. jur. securus: Programm,  
quo et solennis inaugurationis Johannis Christophori  
Mühlmeieri iuritat.
6. Schnepffer, Joh. Fraktion: De reprobatione.
7. Schnepffer, Johannes Fraktion: De iuramento iudiciali,  
sive probationibus delato.

1704.

8. Klein, Mathias; fac. jur. decanus. Program.  
quo et solennia Doctoralia Jacobi Thierkes invitat.

9<sup>at</sup> Klein, Mathias: De matricula imperii noviss-  
simi consensu Imperatoris et status confecta  
2 Sept. 1704 - 1751.

1705

1. Vekhardingius, Georgius: De salubritate aeris

Rustochiensis

2<sup>at</sup> Mueller, Corp. Math.: De teste clerico. 2 Sept. 9

3. Schaefferus, Joh. Duxten: Medicinæ curiosæ speci-  
men. 10

4. Schaeffer, Tobiasus Truch. fac. jur. decanus. Program.  
quo et solennia Doctoralia Burckhardi Camphone  
nri invitat.

5<sup>at</sup> Schaefferus, To Truch: De declaratione honoris  
Rec. 1737. 2 Sept. 1705 - 1787.

6. a, b, c, d. Schaefferus, Johann Trach: De puluone  
infantis natante vel submergente 5<sup>o</sup> Editt. 1705,  
1710, 1738, 1743, 1772.

7. Schaefferus, Johann Trach: De periculosa  
conceptione instrumenti

8. Schaefferus, Johann Trach: De jure praenitendi  
ad heredes haerente

9. Schaefferus, Johann Trach: De declaratione  
sententiae dubiae

10. Schaefferus, Johann Trach: De jure principis  
circa adpote.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*









L. N. I. C. A.

ALAPA INJURIOSA CHRISTO  
PATRI ET SPIRITUI

EX JURE NATURÆ,  
AMPLIUS PHILOSOPHICIS CONSIDERATIONIBUS

M. FRANC. ALB.  
EPINI

4.3 THEOL. CAND.  
IN CELEBRATISSIMA ACADEMIA ROSTOCKIENSI,  
ANNI MDCCX. D. MAY.  
IN AUDITORIIO MAJORI  
PUBLICE AUSEST

MICH. ARWIDSON

Typogr. Joh. G. Neumann, PRINC.  
ET ALIIS





102  
I. N. J. C. A.

DE

ALAPA INJU-  
RIOSA CHRISTO  
PATIENTI INFLICTA,

Joh. XII. 22.

EX JURE NATURÆ,  
AMPL. PHILOSOPHIS CONCEDENTIBUS,  
SUB PRÆSIDIO

M. G.  
M. FRANC. ALB.  
ÆPINI,

S. S. THEOL. CAND.

IN CELEBERRIMA ACADEMIA ROSTOCHIENSI,  
ANNO MDCCIV. D. MAJI,

IN AUDITORIO MAJORI  
DISPUTATURUS EST

A. & R.

MICH. ARWEDSON.

ROSTOGHII,  
TYPIS JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINC.  
ET ACAD. TYPOGR.

587.

**V I R O**  
*Spectatissimo, Prudentissimoq;*  
**DOMINO,**  
**DN. ARWED**  
**NILSON,**  
Civi & Mercatori Primario,  
in Civitate Regiâ Caroli-Coronâ,  
inlyto,  
**PARENTI MEO OPTIMO,**

Cui, post DEUM, quæcunqve bona debeo,  
filiali pietate & obsequio,  
ad ultimum usqve vitæ halitum,  
colendissimo,

*Hasce Studiorum meorum Academicorum Primitias,*  
quâ fas est  
Animi submissione;  
Confecro dedicoque

*Filius ipsius obsequentissimus*

**MICHAEL ARWEDSON.**

IN NOMINE JESU CHRISTI,  
QUI PASSUS PRO NOBIS EST!

PRÆFATIO

**O**lim meminisse juvabit;

Effatum est, proverbium terè factum, quo, si quando nobis obveniunt, quorum memoriam vel olim gratam speramus futuram, vel, quæ mente recolatur, alio ex capite dignam judicamus, uti solemus. Quod si quid unquam est rerum, cujus omni meminisse tempore juvat juvabitque olim, certè, quæ à Divino afflatis Spiritu Evangelistis descripta legitur acerbissimæ passionis humani generis Salvatoris historia erit. Gentium ille Apostolus, Divinus Paulus, inter omnia omnino ἀξιωματόνευσα id primo quasi loco collocat, Timotheum tuum adhortatus: *μνημόνευε Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγγυαρμένον ἐκ νεκρῶν*, i. e. *memor esto Christi, ex-citati ex mortuis*; seu ex Eratmi versione: *memento Jesum Christum resurrexisse ex mortuis* 2. Tim. II. 8. Tenacem eum vult esse memorie mortis & resurrectionis dulcissimi Salvatoris, non neglectâ, quin præsuppositâ potius ejusdem passionis memoriâ. Non enim resurrectionis Christi quis recordabitur, nisi mortuum eum fuisse noverit, nec meminerit mortis ipsius, nisi in antegressas ejusdem causas inquisiverit. Ut adeo passionis exquisitissimæ Servatoris sui meminisse quemlibet semper verum oporteat Christianum. Quid enim salutare magis atque proficuum humano generi poterit esse, quam passionis Christi sanctâ meminisse memoriâ? Quid hac recordatione jucundius? Quid magis erit fructuosum? Revocare sibi in memoriam, Christum, quæ pati nos oportebat, passum pro nobis esse, justissimum pro injustitiâ nostrâ, Segregatum à peccatoribus pro peccatis nostris, immortalem pro mortalibus, Dominum pro servis suis, Creatorem pro creaturis; hoc, inquam, revocare sibi in memoriam, non potest non permagnâ animum peccatoris atque dulcissimâ perfundere, quæ est in DEO, voluptate. Equidem à nostris acceptimus majoribus morem, certo quodam ac statuto anni tempore passionis Dominicæ historiam ex instituto in Ecclesiâ tractandâ & considerandâ: Attamen, sicuti istud improbandum minimè est, utpote, cum hac ratione eandem melius edoceri, cui ruminanda proponitur, grex Domini potest; ita non putandum, ac si cum eo tempore finito statim etiam, donec illud redeat, nullam tam magis rei memo-

A

memo-

memoriam adhibere homini Christiano conveniat. Quodlibet tē-  
poris momentum huic meditationi aptum censeatur oportet, ut nul-  
lam plane praterlabi patiamur diem, quā non ejusdem commemine-  
rimus. Effluxit jam quidem illud passionis Dominicae solennis in  
Ecclesia recordationis tempus, nondum tamen ex animo meo ejus  
deleta memoria est. Solent alii, tempori interveniendo, in passionem  
Salvatoris quidquam commentaturi, tum maxime id agere, quando  
de eadem personare per Christianum orbem pulpita sacra solent, ut  
ego nimis tardē venire videri fortassis queam. Verum, dum nullo  
non tempore Jesus patiens menti meae obversatur, dum nullo non  
tempore Salvatorem meum pro memori video, neu, Quae so lutes,  
intempesivē me nunc temporis deo scribere. Equidem jam tum  
leve aliquod meorum, quorum amore teneor, studiorum specimen  
meditanti illic succurrebat, quod Dissertationis thema eligerem,  
ē latissimā hac & profunda pariter materiā; sed quae impedimento  
michi fuere tenus hac varia obvenerunt, quo minus voti mei tum sta-  
tim compos factus sum. Sed & nunc etiam Salvatoris nostri & injuri-  
arum, quas, ut pro universo genere humano, sic & pro me pecca-  
tore voluit sustinere, meminisse. Eas inter etiam est *alapa, quam homi-  
nis impiissimi impiam manum Sanctissimae IESU nostri facies infixisse*, hi-  
storia passionis refert. De eā, praeter ceteris, quae considerari singulari  
curā merentur, quaedam conscribere placuit *Summam enim illa-  
ram per eam esse Salvatori injuriam ex juris Naturae principiis demonstra-  
vurus sum*. Licet de variis ex hac historia desumptis aliis capitibus Varii va-  
ria scripserint, qui tamen nostrum peculiariter ex instituto pertractare  
thema, neminem offendere hucusque licuit. Quamobrem eō ma-  
gis firmam concipio spem, fore, ut pro Tuā, LECTOR HONO-  
RATISSIME! benevolentia ac humanitate, si quae forte,  
minus accommodatē dicta in hac qualicunqve opera nostrā de-  
prehenderis, deprehendes autem dubio procul, non levia nec  
paucā, aegre laturus non sis. Praeterquam enim, quod neminem  
habuerim hoc in negotio praeventem, Juveni & in scribendo minus  
exercitato facile ignosces. Quod si mihi non promitterem, nun-  
quam hoc leve Scripturae genus Tuo exhibere conspectui ausus fuis-  
sem. DEUS autem, supplices rogamus, meditationibus nostris cle-  
mentissime benedicere ex altissimo velit, per & propter acerbam filii  
sui, Servatoris nostri unici, passionem. Fiat! s. i. Non



§. I.

On novum quid est, aut inusitatum, de rebus ad sacram Theologiam spectantibus & ex Scripturarum sacrarum Codice desumptis philosophicè differere, quippe quod jam ante nos diu à multis factitatum legimus, & hodiernum non saltem omni die fieri cernimus. Potest namque idem variarum esse Scientiarum objectum, licet in aliis alia sit ejusdem considerandi ratio. Non de aliis quidem hac vice dicemus, solam respicientes historiam passionis Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi. Ea quidem tota Theologicæ considerationis est; veruntamen & alio modo tractari potest. Quot non in eadem occurrunt capita, quæ nunc philologicæ, nunc ex antiquitate, nunc logicæ, nunc physicæ, nunc moraliter, nunc sub aliâ considerandi ratione diligentiam nostram & operam singularem merentur? Docent id multorum multa ejus generis erudito orbi communicata scripta, è quibus visa nobis sunt: *Emundi Merilli*, Jcti, Notæ Philologicæ in passionem Christi; *Valent. Heur. Fogleri* Physiologia Historiæ passionis Jesu Christi; *Job. Jac. Wissembachii* Notæ Nomico-Philologicæ ad Passionem Christi; *D. Christi. Thomasti* Disp. de injusto Pontii Pilati judicio; *M. Georg. Jerem. Hoffmanni* Disp. de processu criminali Synedrîi magni adversus Salvatorem nostrum, ejusque ad ipsas Judæorum leges comparati Anomaliâ, Jenæ Ap. 1693. habita; *M. Job. Schmidii* Dissert. Historica de Ritu apud Judæos recepto solvendi è vinculis reum festo Paschatos Lipsi. 1683; *Thoma Bartholini* de cruce Christi Hypomnemata IV. 1.

de sedili medio; 2. de viño myrrhato, 3. de coronâ spi-  
 neâ, 4. De sudore sanguineo; Ejusdem *Bartholin.* Dissert.  
 de latere Christi aperto, cui accessere aliorum, impri-  
 primis *Cl. Salmasii* de cruce & hyssopo Epistolæ tres; *M.*  
*Job. Ern. Mulleri.* Disp. Historico-Philologica de spinis  
 coronæ Christi, A. 1688. Lipsiæ habita; *M. Christoph.*  
*Francki.* Disp. de veste Jesu patientis *λαμπρα* Luc. XXIII.  
 Lips. A. 1672. habita; *M. Enoch. Svantemi.* Disp. De lanceâ  
 militari, quâ Christi latus perfossus, Rost. A. 1686;  
*Andree Mulleri* Dissertatio de Ecclipsi passionali, *D. Georg.*  
*Wolfg. Wedelii* Exercitat. Medico-Philologica, in qui-  
 bushuc pertinentes Exercitationes habentur Dec. I. n. 1.  
 de latere Christi aperto, n. 2. de sudore Christi cruento;  
 Dec. V. n. 7. De balsamatione corporis Christi *D. Job. Andr.*  
*Schmidii* Dissertaciones, de Ecclipsi solari & terræ mo-  
 tu, qui tempore passionis Christi contigerunt; *M. Job.*  
*Paschii.* Dissert. Astronomica de Ecclipsi solis, quæ die  
 passionis Dominicæ accidit, Wittebergæ A. 1683; habita;  
 quibus similia multa addi poterunt. Qualia cum ab  
 aliis scripta extent, quidni thema nostrum philosophi-  
 cæ subicere considerationi ac disputationi nobis liceret,  
 sua Theologis Theologica relinquentibus?

§. II.

Inlicitam genis sanctissimi Salvatoris alapam esse,  
 testis est vir *Ἰωάννης*, *Johannes Evangelista* Cap. XIII. 22.  
 Occasionem enarrans refert, Christum, posteaquam  
 supremi sacerdotis examini illum stiterant, abs eodem  
 de discipulis suis & de doctrinâ suâ interrogatum, respon-  
 disse, se palam locutum esse mundo: semper se docu-  
 isse in Synagogâ & in templo, quò omnes convenire Ju-  
 dæi solebant, nihil autem se in obscuro esse locutû: quam-  
 obrem oportere Pontificem eos interrogare, qui audi-  
 verant,



verant, quid locutus ipfififfet, quæ dixerit probe fci-  
entes. Quibus ftatim fubjungit: ταῦτα δὲ ἀντὶ ἐπιθυμίας,  
εἰς τῶν ὑπαρετῶν παρετηκὸς ἔδωκε πάρομα τῷ Ἰησοῦ, ἐπιθῶν; ἕτως  
ἀποκεῖν τῷ ἀρχιερεῖ; Cujus utilitatifuturas fubjicere Ver-  
fiones placet. Ita verò habet

*Latina Erasmi*: Hæc autem cum dixiffet, unus affiftens  
miniftorum dedit alapam Jefu, dicens: Siccine  
respondes Pontifici?

*Germanica Lutberi*: Als er aber folches redete / gab  
der Diener einer / die dabey ftunden / Jefu einen  
Backenftreich / und fprach: Solteftu dem Hohen-  
Prieffter also antworten?

*Trilleri nova*: Als er aber folches gefagt / hat einer der  
Diener / der dabey geftanden / Jefu einen Ba-  
ckenftreich gegeben / und gefagt: antworteftu dem  
Hohen-Prieffter also?

*Gallica*: Comme il eu dit cela, un des officiers, qui eftoit  
la prefent, donna un foufflet à Jefus, en luy di-  
fant: Est ce ainfi que vous repondez au grand-  
Preftre?

*Svevica noftra*: Når han Thetta fæde/gæfen af Dienarena/  
fom thet når fiode / Jefu en Kinnuff / fâjandes:  
Skalt tu fâ fwara öfwerfta Präften?

§. III.

Ut vero demonftratur quantum injuriarum Salva-  
tori generis humani dulciffimo per hanc illatum alapam  
fit, qui in verborum antea evolutione multi fimus, caulæ  
parum videmus. Quamobrem, quantacunqve id fieri  
poteff brevitate, hanc pertractare ἐνομιμα λογιων, prouti  
aliquid conferre fcopo noftro poffe videtur, liceat. Et  
primum quidem circa vocem alapæ verfari utile duci-  
mus ac neceffarium. Verbum autem παμίζων, unde no-  
men

men substantivum *πάσμου*; quod adducto in loco legitur, à Lexicographis reddi videmus per: fuste aut bacillo cadere *πάμης*, cum descendat à nomine *πάμης*, virgam aut bacillum significante, veluti apud *Pajorem in Lex. Grac. voc. πάμης* videre est. Quare & nonnulli Christum baculo percussum fuisse volunt, apud *Bened. Arctium Comment. in h. l.* Solet tamen *πάσμου* pro quâcunqve aliâ aliâ percussione usurpari, etiam eâ, quæ pugno peragitur sive compressâ manu, per *Synechdochen* speciei *καταχρηστικῆν*, juxta *Ed. Leigh. Crit. S. Nov. T. voc. πάμίζω*; nec non eâ, quæ porrectâ manu seu palmâ in faciem alterius fit. Idque oppidò patet ex verbis Salvatoris *Matth. V. 39. ὅστις σε παλίσεν ἰσθί τὴν δεξιὰν σε σταθῆνα σπέρσων ἐντὸν κει τὴν ἄλληλν. S: quis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obverte illi & alteram.* Hinc *Leighius l. c.* scribit: *Verissime Sedulius Poëta vertit, cadere palmis. Et in hac significatione Scriptores Novi Testamenti verbo & nomine ubiqve videntur uti cum Sculteto in Matthæum & Marcum.* Idcirco & Gallica versio reddidit in nostro loco Johannæo vocem *πάσμου* per: un soufflet, ut adeo optimè quoqve verterit eam *B. Lutherus* germanicè: *ein Backenstreich*; sicut & in Svecicâ nostrâ versione habetur: *en Rinpust.* Etenim hæ voces alapam significant seu colaphum, icium, qui faciei alterius sive palmâ infringitur, sive pugno.

§. IV.

Equidè non ignoro ab aliis aliquid inter alapam & colaphum differentiæ observatum deprehendi. Alapa namque dicitur faciei percussio, sicut colaphus colli, juxta illud:

*Dixit alapam mala, colli colaphumq; —*

*Ausonius Popma L. 1. de different. verb. Colaphus, inquit, digitis compressis & in pugnum contractis capiti corporive relinquitur*

qvo

quo inferitur. Et dicitur Puff. Alapa est percussio in faciem manu explicata. Videtur ipsa Scriptura S. istiusmodi vocum harum differentiam agnoscere, ceu colligi potest ex *Matth. XXVI. 67.* *καὶ ἐκράτισαν αὐτὸν, αἰ δὲ ἔπαυσαν.* Et colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem ejus dederunt; uti Erasmus vertit. Conf. *Polus Synops. Crit. & Bibl. Critic. ad b. l.* Verum ut his tam sollicitè attendatur, parum videtur nostrâ interesse, siquidem promiscuè has voces adhiberi solere experientia docuit. Id solummodo adhuc annotemus, quæri à quibusdam singularem in voce *πάμπα* emphasin, ut sit ictus explicata manu alterius faciei incussus, contumeliæ infligendæ ergo; quem admodum rursus apud *Leigbium l. e.* videmus. Ad quod accedit, quando *Basil. Faber in Ibes. Erudit. Scholast. sive Lex. voce Alapa*, cum afferuisset, alapam idem esse, quod colaphus; erat autem, scribit, *hec cædes contumeliosa admodum & servilis, itaque Onirocritæ imperium iis pollicentur, qui dormientes sibi videntur aliis colaphos ducere, ex Axiemidoro Lib. II. Cap. XV.* Quale quidem somnium num necessarium sit futuri imperii signum discutendum? disquirere non vacat, cum alias approbaturi faciliè essemus de somniis eorumque interpretationibus judicium *M. de Vigneul-Marville dans les Melanges d'Histoire & de Litterature Vol. II. p. 162.* Scribentis: *On ne doit pas faire grand cas de ces livres que les Grecs appellent Onirocritica; c'est à dire, de l'interprétation des songes. Tous ces livres ensemble ne sont que des rêveries ajoutées à d'autres rêveries sous prétexte de vouloir expliquer des choses auxquelles on n'entend rien.* Interim tamen ex eodocemur, alapas jam olim contumeliæ & contemptus signa habitas fuisse, quod & infra nobis demonstrandum pluribus erit.

§. V. Sumi

§. V.

Sumi vocem hanc vel propriè vel impropiè observa-  
re licet. Et impropiè quidem alapis seu colaphis cædere  
est duriter aliquem affligere, & contumeliosissimè ac ig-  
nominiosissimè eum tractare; quo in sensu Paulus refert,  
se à Satanâ colaphis cæsum fuisse, *2. Corinth. XII, 7.* &  
juxta quosdam etiam, quando ab inimicis suis se vapula-  
re conqueritur, *1. Cor. IV. II.* Vid. *Ravanell. Bibliothec. S.*  
*Part. I, voc. Colaphus & Flacius Clav. Scripture h. v.* Quæ  
vero possunt fieri variæ aliàs alapæ, intuitu causarum  
ejus, divisiones, consulto prætermittimus. Soler au-  
tem ratione causæ efficientis distingui, ut alia sit alapa  
justa, alia injusta; alia ex irâ, alia ex amore profecta;  
alia vera, alia quasi. Ratione formæ alia perfecta, alia  
imperfecta; alia vehemens, alia lenis; alia cum sonitu,  
alia absq; sonitu. Ratione finis, alia honesta, alia inhonesta  
& ignominia ergo data; alia seria, alia jocosa; alia punito-  
ria, alia remuneratoria, alia vindicativa. Has alapæ distin-  
ctiones adductas collectas exhibet *Celeb. Dn. D. Strykus*  
*Dissert. Jurid. de Alapâ, hab. Francof. Anno 1675. Cap. I. n. 7.*  
Sed nobis suffecerit notasse, eam, quæ faciei patientis  
Christi infligebatur, alapam fuisse proprie dictam, ve-  
ram, ex ira profectam, seriam, inhonestam & ignominia  
ergo datam. Id enim quam maximè demonstraturi  
sumus.

§. VI.

Quò autem clarius eò demonstrari queat injurio-  
sam hanc fuisse, quæ illata Salvatori est, alapam, de  
injuriâ, quantum instituti ratio requirit, pauca præ-  
mittenda veniunt. Ut alias ejus acceptiones taceamus,  
aliquando impropiè pro periculo, molestiâ & damno  
quocunque usurpatur, ut *Act. XXVII, 10. 21.* Vid. *Rava-*  
*nell.*

129.  
meß. Bibliothec. S. voc. injuria. Aliquibus proipsâ  
justitia actionibus adhærente sumitur, uti apud *Aristote-  
lem L. V. Eth. Nicomach. c. X.* & alibi, quando inter in-  
juriam & injustam actionem distingvens ita scribit: *In-  
juria vel naturâ vel constitutione injuria est. Hæc eadem  
cum illata fuerit, injuste factum est, priusquam illata sit, non  
injuste factum est, sed injuria.* Nobis autem hoc loco est  
quædam actionum injustarum species, quâ in acce-  
ptione eam rursus vel latè vel strictè abs Auctoribus sus-  
mi videmus. Latè & vi vocis denotat quæcumque  
actionem injustam, quæ contra præscriptum legum sit,  
non solum naturalium, verum & positivarum Divina-  
rum & Civilium, etiam ab eo, qui lædendi intentio-  
nem non fovet. Ex eo enim appellata dicitur, quod  
non jure fit & justitiâ caret, quasi non-juria, *Princ. ff.  
de injur. & fam. lib.* Strictè vero est actio injusta ex affectu  
doli sive maliâ animi suscepta, quâ alterius, & quidem  
inviti, jus læditur, isque contumelia afficitur. Notum  
est à Doctoribus eam distingvi in realem, quæ dicitur  
fieri, quoties manus inferuntur, & vel in corpus alte-  
rius, vel extra illud admittuntur; atque verbalem,  
quæ per convitium vel voce vel scripto committitur. *Il-  
lustris Pufendorfus Lib. 1. de Off. Hom. & Civ. Cap. 11. §. 15.*  
plenius declaraturus quomodo injuriâ affici quis possit,  
eam triplici modo ait fieri 1. Si alius denegetur, quod suo  
jure postulare poterat (non si quid dumtaxat ex humanitate  
aut simili virtute debebatur) 2. Si alicui auferatur, quod  
suo jure, adversus auferentem valenti, tenebat. 3. Si ma-  
lum aliquid alteri inferatur, quod inferendi potestatem non  
habebamus,

§. VII.

Vel maximè ad injuriam requiritur dolus & ani-

B

mi

mi malicia destinatumque consilium eandem inferentis. *Aristoteles Lib. 1. Rhet. cap. XIII. in proeresi, inquit, consistit improbitas & injuria illuso. Quod exemplis ita declarat: Non enim si verberavit, omnino contumeliâ affectit, sed si causa hujus rei, aut de detorandi illum, aut percipiendi voluptatem. Neque omnino si clam accepit, furatus est, sed si propter noxam furatus est, & ut sibi ipsi adscisceret. Item Lib. 17. Polit. C. XI. Injuria inferuntur quandoque per contumeliam, quandoque per dolum. Consentiant in hoc Moraliu Doctores, & quibus provocare sufficit ad Hug. Grot. L. III. de jur. Bell. & Pacis; cap. XI. §. 17. n. 1. ad injuriam requirentem, ut sit actio scientis & volentis; & Pufendorf. L. 1. de Jur. Natur. & Gent. C. VII. §. 16. ubi prolixè hac de re tractat. Atque inde est, quod non injuriam vocemus istiusmodi læsionem, quæ vel ab ignaro & invito, adeoque fortuito casu evenit, vel à negligentia, quæ ab inferente, si debitam adhibuisset diligentiam, evitari potuisset, proficiscitur. Ab isto enim, infortunium; ab hac si provenerit, culpæ nomine venire nobis solet, & *Aristoteli ἀνάγκη*, erratum five peccatum dicitur. Eleganter ille Philosophus rem hanc declarat L. V. Eth. Nicom. Cap. V. cujus verba, ex interpretatione *Dionysii Lambini*, adscribere non pigebit. Cum igitur, scribit, nec opinatio damnum illatum fuerit, Infortunium nominatur. Cum autem non nec opinatio quidem illud, sed tamen non malitiosè, erratum seu peccatum est; Peccatum enim tum quibusque, cum in ipso causa principium inest; Infortunatus est, cum principium extra est. Ubi verò quis sciens læsi alterum, sed deliberatione non antegressâ, injustè factum est: Exempli causâ, quæcumque vel ab irâ, vel ab aliis affectibus, qui cum aut necessarij sint, aut naturales, hominibus accidunt. Nam qui his impulse lædunt alterum, & qui*

his

129.  
his peccant, injuriam illi quidem faciunt, & hæc sunt inju-  
ste facta: Nondum tamen propter hæc injusti, neque  
improbi sunt. Non enim malitiosè damnum illatum est. Cum  
autem consilio capto, & de industria, tum & injustus & im-  
probus est dicendus. Quapropter rectè, quæ per iram fiunt,  
non de industria facta judicantur. Non enim prior lædit is,  
quæ iratus facit, sed qui laceffit atque irritavit. Ex  
quibus colligere integrum est, quod si læsio ex affectu  
quoquam proveniat, semique tantum plena in lædente  
intentio detur, hanc intentionis remissionem reatum  
quidem temperare, non autem injuriæ rationem o-  
mnem tollere, quamvis non statim ideo quis appellari  
injustus mereatur.

§. IIX.

Præterea & invito inferri læsio debet, quod dici in-  
juria mereatur. Aristoteles l. c. Cap. XI. concessio licet,  
sponte quem lædi & injustè pati posse, nullus, inquit, est,  
qui sponte injuriam afficiatur. Abiit jam ferè in proverbii  
um communi tritum sermone, cum dicitur. Volenti  
non fit injuria. Rationem ejus asserti reddit Dn. Pufen-  
dorf. L. I. Element. Jurisprud. univers. Defin. XVII. §. 8. se-  
quentem: Quia bonum, quod alteri volenti eripio, aut debi-  
tum, quod volenti non præsto, condonatum mihi ab eo cen-  
setur. At quis injuriam me fecisse diceret, si quod donatur, acce-  
perim? Nec pro malo reputari potest, quod quis sibi ipsi in-  
ferri vult, quippe cum malum abhorrentiam voluntatis ne-  
cessario involvat. Voluntas siquidem non potest aliquid  
appetere ut malum, nec averfari quid ut bonum. Ad-  
deo hoc ab injuriâ abesse non potest, ut potius Thomam  
Hobbesium commoverit, qui doceret, injuriam quam-  
libet in violatione pacti consistere, siquidem quod alte-  
ri parti contra initum antepactum fit, nisi ultro inde

Resillit, ut invito ipsi fieri non tam præsumitur, quam reipsâ fit. Ita verò ille in *Elem. Philof. de Civ. Cap. III. §. 3.* injuriam describit, quod significet idem, quod pacti vel si. *der. violatio.* Et §. *IV.* Injuriam, inquit, nemini fieri posse, nisi ei, qui cum initur pactum, sive cui aliquid dono datum est, vel cui pacto aliquid promissum. At non poterit hocce tam nudè ac simpliciter à nobis approbari. Equidem per pacti violationem alicui inferri injuriam posse sicuti concedere habemus: Ita simul tamen verum est, non omnem injuriam in eâdem consistere. Nam & citra eam, repugnante ejus voluntate, lædi quis potest? Solidissime hoc demonstravit Laudatissimus noster *Pufendorfius; L. I. de Jure Nat. & Gent. C. VII. §. 15.* At vero, sunt ejus verba, quando alicui invito, & non læssenti, deditâ operâ malum inferitur, sive erepto bono quopiam, quod jam possidebat, sive insulto positive malo aliquo, semper injuria fit, sive pactum intercesserit sive non. Id enim cuiuslibet homini natura juris tribuit, ne ab altero homine ipsi citra antegressum suum meriti mali quid inferatur: neque homini fas est, ut ipse alterum non læssitus lædat, nisi quantum necessitas Imperii exercendi postulaverit.

### §. IX.

Denique prætermittendum non est, & id ad injuriam abs nonnullis requiri, ut sit læsio alteri illata ad inferendam ipsi contumeliam. Intelligitur autem per contumeliam contemptus & despectio alterius, quo ejus honor, existimatio & pudor, contra bonos mores, lædi videtur, sive id factò, sive verbis fiat. Docent enim *JCti* formam injuriæ, per contumeliam exprimi solere, quâ illa ab aliis delictis differat: De quo videtis *Boceri Tbes. De injur. & famos. libell. lib. 7.* & *Lauterbach: Comp. jur. ad Tit. de injuria, & fam. lib. describit inju;*



injuriam, quod sit *delictum privatum in contumeliam alterius commissum*. Non ignoramus quibusdam videri, contumeliam tantum verbis, injuriam verò factis, & non contumeliam fieri. Vid. *Domin. Soto de just. & iur. L. V. Qu IX. Art. 1.* item *Faber in Lexico voc. contumelia*. Sic & *Seneca lib. de constantia Sapientis Cap. IV.* nonnihil differentiae inter injuriam & contumeliam agnovisse legitur. *Dividamus*, scribit, *si ubi videtur, Serene, injuriam à contumelia. Prior illa natura gravior est: haec levior. Et tantum delicatis gravis; quæ non leduntur, sed offenduntur.* Attamen receptissimo usu vocem contumeliae tum de verbis, tum de factis usurpari deprehendimus. Unde quoque *Vossius L. II. Instit. Orat. Cap. 6.* sub contumeliae nomine etiam injuriam comprehendere maluit. Contumelia siquidem honorem & existimationem pro objecto habet, quam in eo lædit, qui per vim patitur involuntarium. Jam verò imminui alicujus honor & existimatio potest non verbis solum, verum etiam factis. Ut adeo injuriam inferens alicui contumeliâ quoque eundem afficiat; quanquam tamen, omnem injuriam necessario contumeliam simul habere comitem, non ideo statuamus. Non enim quamlibet debiti denegationem, aut possessionis ablationem contumeliam unâ secum ducere lubentes confitemur.

§. X.

Hæc circa nomina observata (reliqua enim, quæ addi poterant, tanquam parum nostro fini conducunt, consulto prætermisimus) non exiguam, autumo, tractationi præsentem lucem affudent. Restat verò adhuc, ut de fundamento quoque nostrarum demonstrationum pauca præmittamus. Scilicet ex jure Naturæ nostra procedere argumenta oportet. Ubi quidem, de

quo nullum esse dubium potest, proximum fundamentum erunt præcepta juris Naturæ alterius læsionem prohibens, & naturalem quandam inter homines æqualitatem agnoscendam inculcans. Sed de remoto varias offendimus sententias, ex quo nimirum specialia quæque juris Naturæ præcepta deducenda sunt & fluunt. Quot fere eximium quid in juris nostri studio præstitisse se putant, ejusque edidere Compendia, tot de fundamento ejus & principio sententias leges, ut editas de eo magno numero Dissertationes taceamus. Quas examinare, dum aliis committimus, quibus ex instituto id agere & occasio & otium suppetit, supponimus, in sociali hominis naturâ illud quærendum esse. Dicimus igitur fundamentalem legem juris Naturæ esse: *Quidquid socialitati convenit, illud justum est atque agendum; & è contrario: Quidquid socialitati disconvenit, illud injustum est fugiendum est.* Contrarie siquidem oppositorum contraria ratio est. Facimus in hoc cum Puffendorffio nostro, quem istud tam solidè demonstratum dedisse credimus *L. II. de jur. Nat. & Gent. C. III. & L. I. de Off. Hom. & Civ. C. III.* & adeò abunde defensum, partim ab ipso met in *Apolog. & Specim. Controv. c. IV.* partim à *D. Thomaso L. I. Instit. jurisprud. Div. C. III.* ut nihil quidquam solidi excipi posse arbitremur. Quid? quod ipse magnus ille *Grotius in Proleg. Lib. de jur. Bell. & Pac. §. 10.* ad hanc sententiam inclinat. Hoc igitur veluti ut primum totius juris Naturæ principium cognoscendi agnosçimus; ita & ipsum tanquam fundamentum primum & remotum secururæ nostræ tractationi subternendum cupimus.

§. XI.

Ante omnia verò necessum reor esse ut, qui alapis

829.  
pis cæditur, eum summâ affici injuriâ, demonstratur  
Equidem alapam si in se consideramus, abstrahendo  
ab intentione & fine infligentis, nihil eam in se contine-  
re injuriarum diffidendum non est. Nam & signum  
amoris ac benevolentix nonnunquam haberi solet, sic  
ubi leviter ex animo non irato, sed amico, maxilla cu-  
juspiam palmâ placidâ tangitur ac alapa ei infertur, quod  
Germani *Piebes-Schläge* / & Sveci *Rierlet; Slag* di-  
cunt. Quinimo non solum non injuriam, sed liberta-  
tem potius apud Romanos servis alapam attulisse legi-  
mus. Nam Dominus servorum suorum aliquem cu-  
piens manumissum, apprehento illius vel capite, vel  
alio membro, ad Prætorem ductum, alapâ percussum  
ac circumactum, é manu dimittebat, *bunc, ajens, bomi-  
nem liberum esse volo.* Cur Prætor, vindictâ, id est vir-  
gâ, (ita â vindicando potius, quia instrumentum erat  
Vindicis seu Prætoris manumittentis; quam â Vindicio  
servo, quem primum, quod conjurationem Tarqui-  
niorum detegisset, testante Livio *H. R. L. II.* hoc ritu  
liberatum referunt, juxta *Hildebrand. Comp. Antiquit. Ro-  
man. voc. vindicta p. 522.* dicta) servi capiti imposita, re-  
spondebat; *Dico eum liberum esse more Quiritium.* Con-  
versus hinc ad Licτόrem addebat: *Secundum tuam cau-  
sam, sicut dixi, ecce tibi vindicta!* Ad hæc Licτόr, acce-  
ptâ é manu Prætoris vindictâ, caput servi percutiebat,  
faciem palmâ tergumque verberabat. Atq; hoc modo  
servus, mediante alapâ, manumittebatur ac libertati  
pristinæ restituebatur, de quo ritu, qui prolixius ege-  
runt, videri possunt *Sigon. Antiquit. Jur. Civil. Roman.  
L. I. C. VI. Rosin. L. I. Antiq. Roman. C. XX. Hopp. Comment.  
ad §. 1 J. de libert. p. 59. Strysius Tract. de jure sensuum.  
Dissert. VII, C. I. n. 49.* qui statim subjicit, superesse adhuc  
hodie

hodiernum vestigia talis ritus in actu, cum alicui conceditur jus gestandi arma. *Nam Principes, inquit, & Nobiles in Germaniâ ministris suis perfectam aetatem adeptis, impatiis colaphis, jus gestandi gladium concedunt, quo ipso colophonem imponunt nugis & ineptis primæ ætatis, & simul cum ex suâ potestate dimissum declarant, -- Quæquam ritus ejusmodi insligendi colaphum, non ubiq; hodie observetur.* Ita in Sveciâ, Patriâ meâ, morem hunc observatum unquam esse me legere vel audire non memini, licet in Academicis nostris in depositionis, ut vocant, ritu Studiofis Juvenibus à Depositore alapas datas esse noverim, quanquam nec illud hodiè adhuc in usu sit. Verum & his per alapam adeò nihil est injuriæ factum, ut potius gradus ad honorem quasi ipsis collatus eâ sit. *At uti olim servis alapam passis libertas reddebatur; ita ex adverso planè alii mediante alapâ in servitutem redacti leguntur.* *Forculator enim quidam, ceu Hoffmannus in Continuât. Lex. Univers. voc. Alapa, pag. 59. refert, qui Dux via fuerat Carolo Magno pergenti in Italiam, contra Longobardos, cum ab Imperatore veniam nactus esset petendi quod vellei, in monticulum quendam ascendens, cornu inflavit suum, & quam longè sonus pervigisset, agros hominesq; sibi dari postulavit. Non frustratus est ejus votum Carolus: itaque descendens is per viulos & arva, & interrogans, quos inveniebat, Audisti, inquit, sonitum rube? Cui si dixisset, etiam auditivi, dabat illi mox colaphum, dicens, Tu es meus servus, quo pacto satis amplum Dominium sibi quaesivit. Servi autem, quos hoc pacto suos fecit, à cornu ejus Transcornari dicti sunt.*

## §. XII.

Eidem Hoffmanno l. c. præterea & alius alapam dandi torquendique aurem in testimonium observatus ritus est, occurrens in *L. L. Ripuariorum tit. 60. §. 1. Si quis villam ab alio comparaverit, & testamentum accepere*



conditiones, quæ injusitæ quid alapæ superaddant eandemque reddant injuriosam. Et eæ quidem cum ex parte infligentis, tum ex parte patientis spectandæ erunt atque considerandæ. Quantum igitur ad illum, supra jam §. VII. in eo prærefin, animi malitiam & destinatum alterum lædendi consilium requiri, ostentum est: quorsum pertinet, si privatæ vindictæ ergò quis alterum colaphis cædit. Ut adeo, qui vel ex amore, vel ad emendationem, castigationis loco, aut etiam præter intentionem brachium movendo alteri alapam infert, non simul ei inferat injuriam, ceu §. XI. & XII. dictum. Ex parte alapam patientis deinde respiciendum omninò erit, justene, an injustè eam patiat? Num propter antegressum delictum, an verò minimè? Nemo credo negabit aut inficias ibit meritum justè puniri. Quare nec injuriâ affectum dicere se poterit, quisquis ob crimen commissum aut ad emendationem vapulat; id quod rursus ex precedente §. XI. vi oppositionis colligere integrum est. Ast injustè si quis patitur, causâ antegressâ nullâ, quis non dixerit, ei injuriam fieri? Verum ut rem hanc in compendium contraham, ac breviter dicam: Injuriosa ea pronuncianda est alapa, quam quis ad vindictam privatam, vel ex malitiâ & destinato animi consilio alteri, in quem jus nullum habet, ob nullam præcedentem sufficientem causam, infert.

§. XIV.

Talismodi alapam comitari injuriam nunc adeo difficile probatu esse haud potest. Ecquis enim ejusdem alius est finis, quam ut eam perpeffus lædatur & afficiatur contumeliâ? Alterum autem contumeliâ adspargere & lædere quid est, nisi injuria? Injuriam nimirum ratio formalis in his actibus consistit. Non igitur  
ex

ex solâ perſuasione patientis aut imaginatione pro injuriâ reputatur, sicubi alapam quis alteri impeerit. Quid? quod pro gravi etiam injuriâ non immeritò habeatur, imò pro graviore, quam vulnus inflictum, propter ignominiam ipsi adjunctam. Ideoque *Fufen dorffius Lib. II. J. N. & G. & V. §. 12.* ita pronunciat: *gravissima habetur contumelia alapæ eedi.* Item: *In alapâ maximus inest contemtus.* Neque ipsos Theologos hac in sententiâ dissentientes habemus, qui tamen cæteròquin injuriæ ex lenitate Christianos decente judicandas esse & æstimandas inculcant. Quando enim *Hugo Grotius L. I. de J. B. & P. C. II. §. IIX. n. 2.* ad formatam sibi ipsi, contra licentiam bellorum, objectionem ex verbis Christi *Matth. V. 39. cedentis se in dexteram maxillam, alteram quoque obverte;* inter cætera respondit: Christum hic non de quâvis agere injuriâ, sed de tali, qualis est alapa: Improbat eam responſionem *B. D. Job. Ad. Ospander Annot. in b. l. ad th. IIX. observ. II.* Circa responſionem, inquit, alteram merito dubitatur, num scilicet alapa ibi sub ratione tali proponatur, & levis injuria à Christo esse dicatur; quia alapa in se satis atrox est injuria, neque Christus illud quod atrox est voluit leve dicere, qui aliàs rem elocutus est prout se habet.

§. XV.

Imò eò nonnulli abeunt, ut adeò gravem alapâ injuriam patienti fieri affirmant, ut eam vel cæde intringentis ulcisci liceat, idque velevitandæ etiam, cujus accipiendæ periculum alicui imminet, alapæ causâ. Certe *Grotius L. II. de J. B. & P. C. I. §. X. n. 1.* legem Evangelicam tale factum omnino illicitum reddidisse largitus, Christo alapam accipi potius, quam adversario nocere jubente; iustitiæ tamen expletrici id oppidò convenire statuen-

C 1

tium

tium sententiæ subscribere haud dubitat. Quæ ob-  
stare ei videntur remoturus hanc simul rationem reddit:  
*Quæquam enim inequalia sunt mors & alapa, tamen qui  
injuriâ me parat afficere, is mihi eo ipso dat jus, hoc est, facul-  
tatem quandam moralem adversus se in infinitum, quatenus  
aliter malum illud, à me arcere nequeo. Caritas quoque per  
se non videtur nos hic obstringere in gratiam nocentis. Idem  
concedere videtur Pufendorff. l. c. pag. m. 294. si de eo  
quæstio sit: quid in statu naturalis libertatis liceat? Qua-  
re & David, Regum cæteroquin sanctissimus, ob illa-  
tam legatis suis contumeliam, Hanonem Ammonitarum  
Regem internecivo adoriri bello licitum sibi duxit, II.  
Sam. X. Verum enim vero an, habito status civilis re-  
spectu, cædes ob repellendam alapam permitti possit?  
non sine ratione dubitatur. Pro negativâ rectius pronun-  
ciatur, hac alias inter additâ ratione: *Falsum est, ali-  
cujus honorem, illatâ ejusmodi contumeliâ, per se tolli; qui  
sanè valdè in lubrico positus esset, si abs cujuslibet petulantis  
libidine dependeret. Et qui in istâ est consentus, facile à Ma-  
gistratu aboleri, aut pensari potest, gravi multâ ladens  
impositâ, eodemque adactò, ut lesò publicè honoris signa ex-  
hibeat.* Scilicet, notum est, quod in proverbium ferè  
abiit, dicterium: *honor est in honorante, non in honorato.*  
Non igitur ab hoc propriè loquendo honor mediante  
alapâ aufertur. Attamen ex opinione aliorum non om-  
nis ipsi integer judicabitur honos, quin potius minùs  
honorandus censebitur, idque propter satisfactionem  
postulare integrum ipsi erit. Fecit id ipsum Paulus, qui  
unâ cum Silâ in foro Philippenfi, indictâ causâ, in con-  
spectu populi virgis cæsus & in carcerem coniectus,  
cum inde egredi juberetur, noluit, priusquam ipsi Magi-  
strat9 eum educerent, ut publicè contumeliâ affecto ex-  
istima-*



129.  
istimatio hoc pacto quasi restitueretur, & vel ab ipso etiam Magistratu, qui eum dehonestarat, publicè rursus honoraretur *Act. XVI. 37. sq.* Ast cum in civitatibus vindicta omnis Magistratui servata, quem penes & læsum defendendi & lædentem puniendi potestas est: idcirco, etiamsi multum contumeliæ ipsam comitetur, quam quis alicui minatus est, alapam cæde repellere nemini licebit.

§. XVI.

Multo licet id minus, sicubi alapa illata jam fuerit, fugiente, qui intulerat. Non sine gravi causâ miratur *Grotius l. c. n. 2.* Inveniri Theologos, & Christianos Theologos, qui non modò cædem rectè putent admitti, ut alapa vitetur, sed & acceptâ alapâ, si, qui eam impexit, fugiat, ad honorem, ut ajunt, recuperandum Sunt nimirum Pontificios inter Theologos & Casuistas (apud alios enim ejusmodi quidquam me legere non memini) qui asserere illud veriti minimè sunt. Ita *Laymannus L. III. Theol. Moral. cap. III. Tract. III. part. 3. Afferi. 2.* pluribus è Scholasticorum turbâ huic suæ sententiæ consentientibus citatis, licet, ait, *post acceptum vulnus, alapam, aliamve contumeliâ, cessante periculo alterius plaga vel ignominia accipienda, adversariû percutere plerumq. nefas sit; tamen si vir strenuus, seu militaris illatû sibi dedecus ex alapâ, nullâ ratione à se removere possit, quam in continenti repercutiendo, non prohibetur id agere.* Rectius profecto *Grotius*, in foro licet Philosophico verus, quod mihi, inquit, à ratione & pietate valde alienum videtur: quamvis de adjunctâ ab ipso ratione *Pufendorfius* judicet, hanc *Grotii* Philosophiam vitæ civilis morem non ferre; quâ de re nos suo loco plura dicturi sumus. Neque instituti nostri ratio requirere videtur affirmativæ sententiæ argumen-

gu menta prolixè hic examinare, quæ collecta & resoluta, si placet, videri possunt apud *B. Oslandrum Annotat. in Grot. de J. B. & P. ad L. II. c. I. Th. X. Observat. 2. pag. 627. sq.* Attamen ex hisce concludere nuncliet, quam gravis injuria, quanta contumelia, quæ per alapam alicui infertur, abs hominibus vulgò centeri soleat.

§. XVII.

Atque sic ad primarium, quod in hac Dissertatione tractandum nobis sumimus, negotium, fratà vià, inoffenso pede progredi & accedere facilius nunc poterimus. Quascunque hîc consideremus circumstantias, certè profectò non nisi summa Salvatori est injuria facta, cum alapam ejus faciei sanctissimæ impedit omnium sceleratissimi & damnatione dignissimi servi manus. Qvisnam ille fuerit homuncio aliqui divinare annisi tuere. *Cyrillus*, apud *Cornelium à Lapide, Comment. in Evang. Matth. XXVI. 59.*, ex iis eum fuisse putat, qui à Phariseis olim missi ad capiendum Christum, sed ejus doctrinam admirati sunt, & rogati: quamobrem eum non cepissent? responsum dederunt: *nunquam locutus est homo, sicut hic homo*; id quod à Phariseis tum jam, ipsis exprobratum fuit, ceu legere est *Job. VII. 31. ad 50.* Hunc igitur, responsione Christi, summo Pontifici de Discipulis & de doctrina ipsius eum interroganti datà, cum reposuit: *Ego palam loquutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Judei conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audiverunt, quid loquutus sum ipsis: ecce, hi sciunt, quæ dixerim ego*; se tangi putasse ac sensisse, idque propter notam hanc delere voluisse, dando alapam Jesu. Alii in eà sunt persuasione, ac si is ipse fuerit Malchus ille, Principis Sacerdotum Servus, cui Christum

stum prehensuro Simon Petrus dexteram auriculam.  
stricto gladio amputaverat, quemque auriculam tactam  
ipse sanaverat mitissimus Salvator, referentibus *Mat-*  
*theo* XXVI, 51. *sq.* *Luca* XXII, 50. *sq.* *Johanne* XIII, 10.  
*seq.* Verum Scripturam tacente, ecquis hic loquatur?  
Quod si tamen eorum alter fuisset, tanto magis ab hac  
sibi injuriam illi inferendam cavere debuisset, quanto magis  
aut Christi prae caeteris hominibus excellentiam, &  
forte vel divinitatem ipsam jam tum conjectaverit, aut  
majori ab eo beneficio tactatus fuerit. Augeretur facti  
indignitas, imò & impietas utriusque. Sed quoni-  
antum de personam illius haud certo nobis constat, incertis  
tantum & conjecturis inniti infirmum, inhærere autem  
supervacaneum ducimus.

§. XIIII.

Injuriosa interim hæc fuit alapa, si ad eandem  
passum respicimus, Sanctissimum Salvatorem. Ne-  
minem esse lædendum, jus naturæ dicitur. Hoc enim  
sine præcepto servato nulla sane socialis hominum vita  
ullâ ratione consistere potest. Summè ideoque necessa-  
rium est illud, juxta tamen servatu omnium facillimum,  
quippe quod in nudâ actionis indebitæ omissione consi-  
stit. Nec solum ad corpus & res nostras, sine quibus  
vivere tædiosum, istud præceptum spectat; sed ad om-  
nia quæque extenditur, ex quibus quocunque modo  
utilitas nos quædam manere potest, quibusque violatis  
nos jure merito læsos arbitramur. Hæc etiam inter  
existimationem & auctoritatem hominis referri debe-  
re, quis est, qui negare audeat? Et quis inficias ibit ala-  
pam passum lædi? Non dicam de dolore, qui eam comi-  
tatur. Is quidem levissimus, non nego, videri potest:  
est: sed tamen etiam ex alapam gravia, quin & gravif-  
sima

fima oriri mala posse, experientia testata est. Sic D. Francus, *Medicus Heidelbergensis, in Diss. Med. de Alapia sive colaphis Anno 1674. habita & haud pridem recusa,* dentium excussione, vomitum, cæcitatem, surditatem, Epilepsiam, Phrenitidem, Apoplexiam, imò mortem ipsam inde resultasse demonstravit. Quam materiam, ut ad præsens nostrum forum haud spectantem, Dnn. Medicis & Physicis discutiendam committimus. Idque præfertim, quoniam talismodi effectus in Salvatore alapam secutus nullibi legitur, quanquam interim non omni profus dolore physico ictus ille caruerit. Moraliter verò spectatus dolor ille, haud dubie major fuit, imo vel maximus, quippe quod in contemptum ipsius alapa Christo data fuit. Quod enim in contemptum nostrum sit, utique nos lædit. Idque vel maximè alapa præstat, ceu §. XIV. ostensum, cum fervilis pœna illa æstimetur. Atque sic in præceptum juris Naturæ alterum, de agnoscendâ naturali hominum æqualitate, simul peccavit mortalium ille perditissimus. Non equidem lex illa omnem inter homines dignitatis gradum & unius præ altero præferentiam tollit, uti ineptissimè Fanatici blaterant; indicat tamen, non plus licentiæ uni concessum alios lædendi & injuriis afficiendi, quam ipse ab iis idem expectare habet. Intra dignitatem autem viri honesti est, sicubi alapa ei infringitur, utpote qui hoc ipso contemptui atque despectui exponitur.

#### §. XIX.

Notissimum est in Moralibus & juribus circumstantiarum, præsertim quidem personarum, temporis ac loci, respectum haberi, ut ex injuriosi facti improbitatem augere vel minuere dicantur. Neque ipsam  
natu-

129.  
naturali juri repugnat. Etenim & hoc, præciso statu Civili, inter eos, qui in naturali invicem libertate vivunt, diversam personarum agnoscit existimationem, quæ est *valor personarum in vitâ communi, secundum quem apte sunt aliis personis exæquari, aut comparari, eisque vel antebaheri vel postponi*, describente *Pufendorffio L. II. J. N. & G. G. IV. §. 1.* Dividi solet in simplicem & intensivam. Simplex in eo potissimum consistit, ut quis legum naturalium observans socialitati humanæ colendæ studeat, eumque segerat ut merito æstimetur, quocum, tanquam viro bono, vivere alii possint. Intensiva autem existimatio illa est, quâ homines, quoad simplicem existimationem aliâs æquales, sibi invicem præferuntur, prouti huic istivè eorum aliquid inest, quibus ad honorem alteri exhibendum permoveri hominum animi solent. Oritur itaque hæc ex iis, quæ insignem aliquam præstantiam aut perfectionem continent, qualia præcipue sunt: Perpicacia mentis & capacitas animum variarum rerum notitiâ excolendi, potissimum verò, si eadem impleta sit, actuque sese exercerat; animus heroicus, firmus, constans & immobilis, illecebrisque & terroribus superior; facultas item animi sui sensa tum copiosè, tum convenienter, cum aliis communicandi; judicium circa res gerendas idoneum & ad discernenda dubia promptum; corporis dexteritas faciei que pulchritudo insignis, in quantum hæc dotes præclara præclari animi indicia vel instrumenta non temerè habentur. Vid. *Pufendorff. l. c. §. 12.* Jam Salvatorem nostrum ante oculos nostros nobis ponentes, deprehendimus omnia illi summâ in abundantiam summoque in gradu adfuisse, non quæ simplicem existimationem absolvunt solum, sed & quæ intensiva conciliari

D

ciliari

cillari homini potest. Sic igitur concludamus, oportet:  
Sinemo, in quem nullum nobis jus, nulla potestas est,  
præsertim innocens, ignominia affici ac lædi debet;  
maximè omnium delinquit, qui viro honesto, honore  
& existimatione omnis generis dignissimo contumeli-  
am adspergit. Quod cum alapa impactâ mediante fit,  
maxima hanc injuria comitatur, dignusque infligens  
evadit, in quem severissimis ac diris animadverteretur  
pœnis. Injuriosa proinde fuit, quæ Christo patienti à  
ferro inflicta legitur alapa. At Salvatore nostrum,  
existimatione omni virum fuisse dignissimum proba-  
tum cupis? Habeas id paucis, abunde tamen, demon-  
stratum.

§. XX.

Nam legum naturalium observantissimum eum  
fuisse, satis testatur, quod hostrum suorum nec unus ali-  
cujus eum criminis convincere potuit, etiam si ipse ad eos  
provocaret: *Quinam ex vobis arguit me* (scilicet jure  
meritoque) *de peccato?* *Job. III. 46.* Ita nimirum  
in conscientia sua de optimè institutâ vitæ suæ ratione  
certus, quinimò certissimus erat. Tantumque abest,  
ut contra naturales leges quidquam peregerit, ut  
potius Civilis etiam Magistratus constitutionibus se-  
se subjecerit, quibus solutus omninò erat supre-  
mus ille omnium Dominus, verus ille DEUS. Op-  
pidum enim Capernaum ingressus, accedentibus ad  
Petrum qui didrachma accipere solebant & quærenti-  
bus: *Nūmne Magister vester solvit didrachma?* dato  
responso, quod etiam; Petrum jubebat staterem in ca-  
piendo pisce inveniendum acceptum & pro se & pro eo  
dare, quanquam simul ipsi significasset, jure liberum  
se esse à tributis aut censu, *Matth. XVII. 24. sequ.* Sed  
videor

videor mihi audire universam adversariorum ejus multitudinem, ad Pilatum eum ducentem, reclamare ipsumque accusare, dicentes: *Hunc deprehendimus evertentem gentem, ac vetantem tributa dare Cæsari, dicentem se Christum Regem esse.* Itane ejus existimatio minuitur? Itane socialitatis humanæ turbator, Magistratus Politici contemtor, jactansque se DEUM & Messiam esse bipedum superbissimus dicendus? Sed bona verba, Qvæto! Dixerat se DEUM, se Christum & Messiam esse; sed nihil falsi dixerat. Verè is enim erat, quem se profitebatur, tot etiam Judæorum pro eo eum agnoscentibus. Poterant & omnes omnibus actionibus ejus firmiter id ipsum colligere, nisi, quæ perversa eorum malitia erat, noctuarum in morem, à splendore solis ad caliginem, mentis suæ oculos convertissent. Falsò item criminabantur, eum persuadere populo conatum, ne tributa penderent Cæsari. Præterquam enim quod ipse ea promptè extolverit, veluti jam modò relatum, propria ipsorum conscientia falsitatis convincere eos poterat. Enimvero consilium, ut illaquearent eum in sermone, capientes Pharisei, discipulos suos cum Herodianis ad illum miserant. His verò quærentibus: num liceat census dare Cæsari, an non? viso numismate, & in eo imagine Cæsaris atque inscriptione, respondit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari* *Matth. XXII. 21. Marc. XII. 17. Luc. XX. 25.* Qui igitur tributa Cæsari danda vetasse dici poterat? Ecce vanæ mendacium linguæ! Mirare profundam & verè diabolicam hominum malitiam. Similem plane in modum res sese habet, cum asserunt, se eum deprehendisse evertentem gentem. Impudens sane atque immensum mendacium est. Unde-

nam illud probare valebunt? Sed tantum abest, ut probaturi ipsum sint, ut ipse etiam iudex Pilatus nullius eum criminis reum iudicaret, idque plus simplici te-  
status vice sit. *At enim ad Principes Sacerdotum & Turbas, nihil inuenio noxe in hoc homine. Luc. XXII. 4.* Et rursum, posteaquam eum ad Herodem miserat, remissumque receperat, idem Pilatus pro tribunali sedens, convocatis Principibus Sacerdotum & Magistratibus ac plebe, dixit ad illos: *Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum & ecce, ego coram vobis interrogans, nullum crimen inuenio in homine isto, ex his de quibus accusatis eum, sed ne Herodes quidem: nam remisi vos ad illum, & ecce, nihil dignum morte actum est ei, ibid. v. 13, 14, 15.* Sic enim ab omni culpæ reatu absolvendus erat, qui, testante Petro 1. Epist. II. 22. peccatum non fecerat, nec inuentus est dolus in ore illius. Itane ut in quem simplex existimatio caderet, Sanctissimus Salvator vixit?

§. XXI.

Vixit verò etiam ita, ut intensivam existimationem præ mortalibus in universum omnibus meruerit. Hujus namque fundamenta si ea sunt, quæ insignem quandam præstantiam continent atque perfectionem, quætolite, quid Christo perfectius? quid præstantius in genere humano dari, nedum dici aut cogitari potest? Dicuntur existimationem mereri perspicacia mentis, capacitas notitiæ variarum rerum, facultas decenter mentis suæ conceptus cum aliis communicandi, iudicium ad res gerendas pariter ac discernenda dubia promptum. Ast numquid eorum in Christo unquam deficeratum fuit? Abunde eum his omnibus donatum atque instructum fuisse, vel unica edocere potest, quam puer adhuc duodecennis in Templo Hierosolymitano cum Doctolibus



ribus habuit, disputatio. Quantum enim eâ omnium applausum assequutus fuerit, *Lucas cap. II. 47.* ita refert: *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super intelligentiâ & responsis eius.* Nec minus de juvenili ipsius ætate hocce dat testimonium. *Jesus proficiebat Sapientiâ, & ætate & gratiâ apud Deum & homines, ibd. v. 2.* Porrò referri huc solet animus heroicus, constans, terribus illecebrisque superior. Neque is defuit Christo. Quantâ enim gravitate, quantâque parrhesiâ, infidias ipsorum & potentiam nilquidquam metuens, Pharisæis ac Scribis eorum iniquitates exprobaverit, ut alia taceamus, apud *Mattheum Cap. XXIII.* legere est. Hunc intrepidum suum animum magis adhuc demonstravit, quando Pontificum ac Pharisæorum servis, qui eum caperent, egressis obviam factus. Noverat quidem omnia quæ ventura supra se erant, nihilo tamen minus, timore procul abjecto, ad quæ situm: *quem quere-  
rent?* respondentibus: *Jesus;* ipse clarâ voce iteratâ vice dixit: *Ego ille sum Job. XII. 3.* sqv. Ecce! neque au-  
fugiebat, quò se absconderet, neque Petro cæterisque, qui cum ipso erant, vim vi repellere concedebat; sed semet innocentem vitæ suæ invidiantibus permittebat, imò in manus eorum se quasi tradebat ipse. Hoc cene animum ipsius verè heroicum arguit? Itane se terribus omnibus superiorem exhibuit? quem nec cruciatuum ignominiosissimorum, nec mortis acerbissimæ metus (futurorum enim nihil quidquam ipsi ignotum erat) vincere potuit. Denique si corporis dexteritas & faciei pulchritudo existimationem intensivam homini conciliare possunt, (possunt autem certo modo, si quidem ex externo corporis habitu de animo intus latente, non sine omni probabilitate, judicari solet) Sal-

vatorem nostrum nunc etiam aspiciamus; visuri qualis ille fuerit. Non fuisse eum corpore atque oris specie deformem, sic satis solidè demonstravit. *Franc. Vavaffor, Jesuita Galluanus, Libro de Formâ Christi, dum viveret in terris, Cap. I.* dilutis in *Cap. II.* quibus deformitas illi attingitur, argumentis. Hinc & Theologi, quando *Psalm. XLV. 3.* dicitur pulchrior prae filiis hominum; concludunt, eum omnibus gratiarum ac venustatum dotibus ultra aliorum sortem, non quoad animæ tantum excellentia dona, sed & quoad externam corporis pulchritudinem, maximè exornatum fuisse. Attamen, quæ verè fuerit ejus facies? quæ corporis statura? non certò constat. Equidem *Nicephorus L. i. Hist. E. clef. C. 40.* effigiem formæ Salvatoris pingere nifus fuit, per similem per omnia divinæ ipsius Genetrici: verum unde tam accuratam matris habere potuit imaginem, ad quam ita depingeret filium formaretque? Sufficit igitur in generali nos scire, eum pulchritudine excelluisse cæterosque superasse homines, quantumvis, quo in specialiter constiterit? exactè eam describere non valeamus. Neque contrarium evincere valebunt supra dicti *Vavafforis* argumenta, quibus *l. c. Cap. III. Propos. 3. pag. 84.* dicit, sibi fieri admodum probabile, Christum inter cives ac municipes suos, corporis laude & formæ qualicunqve gloriâ non excelluisse, neque eximium & memorabile quidquam præter cæteros habuisse. Quæ enim sunt ejus dubia, uti prolixè, ita solidissimè solvit *Magn. Dn. D. Fichtius, Patronus atqve Præceptor noster, omni pietate ac reverentiâ ad extremum usque vire balitum colendâ ssimus, in Noct. Christian. Exercit. X.* Itaque, si quæ debet, etiam ob formæ excellentiam corporis, quæ dexteritatem existimatio intensiva Christo tribuenda

24.  
endâ erat. Jam verò cum talis fuerit Christus, qui & existimatione simplici polluit, & intensivam existimationem meruit; firmum utique est argumentum nostrum §. XIX, propositum, quod unâ cum alapâ gravissima ei illata injuria fit.

§. XXII.

Sed & fortè alia sunt ex parte patientis alapam personæ, non leviter facti hujus injuriam auctura. In statu scilicet Civili respectus personarum in injuriis judicandis admodum magnus est. Neque ipsum injuriâ, Quo igitur dignior est persona, eo gravior censetur injuria ipsi illata. Inter digniores autem personas etiam, ob officii, quod gerunt, sanctitatem, Sacerdotes referri, communiter apud omnes per universum Gentes experientia docet. Unde si quis Sacerdoti cuiquam alapam impegit, graui eum pœnâ, secundum jus Civile & Canonicum puniendum esse, ostendit *Exc. Dn. Strykhus cit. Disp. de Alapâ cap. IV. n. 51.* Jam quod Christum attinet, eum Sacerdotem esse, alio in sensu ex sacris Theologi docent, tria ejus officia: Propheticum, Sacerdotale & Regium numerantes. Veruntamen eum in numerum etiam Sacerdotum, qui Sacra publica in Templo Hierosolymitano ordinariè administrabant, cooptatum reverâ fuisse, sunt qui referunt. *B. N. c. Selneckerus Comment. in Psalm. CX. ad v. 4.* scribit, quosdam Græcorum Scriptorum testatos ipsum fuisse. Fuisse nimirum Justiniani Imperatoris temporibus primum quendam Judæorum, cui nomen Theodosio, cum Imperatori ipsi, tum multis aliis honestis viris haud ignotum. Hunc à Philippo quodam, Christiano religionem & professionem Trapezitâ, admonitum sapuisse, ut, relicta superstitione, Christianæ Religioni acce-

accederet, animæ suæ ac æternæ salutis rationem habiturus. Ad hæc eum vice quadam fassum quidem esse, se satis cognitum habere, Christum esse verum illum per Prophetas à DEO promissum Messiam, quo minus autem ad eum sese converteret, temporalia hæcce obstaculo sibi esset. Esse se virum inter suos valdè honoratum, ac si Christianus fieret, fore, ut & à Judæis & à Christianis ipsis parvi æstimaretur, vel forte contemneretur penitus. Temporalibus igitur ac præsentibus inhiantem se futura & æterna haud curare. Et quo majorem confessionis suæ fidem Philippo faceret, præmissâ silentii petitione, eum retulisse, Christum à Judæis omnibus non aliter ac verum DEUM ac Messiam generis humani, si modo conscientia suæ satisfacere vellent, agnoscendum esse. Nam electum eum in Sacerdotem fuisse, & ab eo tempore indubitata Deitatis ipsius indicia & testimonia Gentem Judaicam habuisse. Sed hunc Judæi sermonem Selneccerianis enarrare liceat.

§. XXIII.

Ita verò fatus legitur: Zu Jerusalem ist bey den Jüden die Gewohnheit gewesen / daß sie allezeit 22. Priester im Tempel gehabt / nach der Zahl ihrer Hebräischen Buchstaben / und der Bücher des alten Testaments. Derwegen ist ein grosses Buch im Tempel gelegen gewesen / darin eines jeden Priesters Nahmen / Geburt / Geschlecht und herkommen ist verzeichnet worden. Wenn nun einer ist gestorben / so sind die andern Priester im Tempel zusammen kommen / und haben mit gemeinem Rath und Beschluß einen andern Priester an des Verstorbenen stadt erkohren / und die Zahl wieder erfüllen. Nun hat sich begeben / daß eben da Christus in Judæa ist umgegangen / und sich doch durch seine Lehre und Wunderwerck noch nicht erkläret / dazumahl etlicher aus den Priestern verschieden war. Da nun die übrigen Priester nach Gewohnheit zusammen kommen und bereden sich mit einander / wen sie hinstort erwählen wollen / und mancherley Rathen und Fürschläge gehört werden / und kein endlicher Beschluß geschah /

geschah / so stehet elker aus ihnen auff und bittet umb Erlaubnis sei ne  
Meinung klärlich auszureden / und sprich: Ich will das an des todten  
Priesters stadt zum Priester erwöhlet werde Iesus des Zimmermans  
Iosvhs Sohn / welcher am Alter wohl jung ist / aber am Reden / Leben  
und guten Sitten trefflich / das seines gleichen nirgend kan gefunden  
werden / wie alle müssen bezeugen / so viel ihr zu Jerusalem wohnen.  
Diese Rede hat den andern Priestern wohl gefallen / allein das eilliche  
fürzagen / Er wäre nicht aus dem Stamm Levi / sondern aus dem  
Stamm Juda geböhren. Darauß der vorige Priester wieder ange-  
worret und gesagt: das ein vermischte Geschlecht wäre unter diesen beg-  
den Stämmen / das sie auch zusamen heyrathen mögen / wie denn  
derwegen Elisabeth aus dem Stamm Levi / eine Befreundin der Jungfrau  
Marien aus dem Stamm Juda gewesen ist. Auf diese Rede haben  
sie zugleich beschloffen / Iesum zum Priester zu erwählen. Weil  
aber auch der Brauch gewesen / nicht allein des neuen Priesters Nah-  
men einzuschreiben / sondern auch seine Eltern zu beruffen / sofern die  
noch im Leben / und von ihnen ihr Herkommen zu erlernen / und einzu-  
zeichnen / haben sie des H Erren Christi Mutter / Mariam fordern lassen /  
sinemahl Joseph gestorben war / und ihr angezeigt / wie sie ihren  
Sohn Iesum zum Priester erköhren hätten / und weil die Gewonheit  
wäre / des Vaters und der Mutter Nahmen zugleich einzuschreiben / so  
fragten sie / ob dieser Iesus ihr leiblicher Sohn wäre ? und wer sein  
Vater wäre ? Denn ob man gleich wußte zuvor das Herkommen / noch  
behiele man solche ceremonien und Brauch zu fragen. Darauß Ma-  
ria diese Antwort gegeben und gesagt: Ich bekenne / das Iesus sey  
mein Sohn / den ich geböhren habe / wie dessen viel Zeugen sind. Auf  
Erden aber hat Er keinen Vater. Denn ich habe meine Jungfäuliche  
Keuschheit behalten / und da ich in Galilæa war / ist der Engel Gottes  
zu mir kommen / da ich gewache / und nicht geschlafen habe / und mir  
diese fröliche Botschafft verkündiget / das ich vom Heil. Geist einen  
Sohn / mit Nahmen Iesum / empfangen und gebären würde. Die-  
ser ist der Iesus / den ihr erwöhlet haben. Wie solches die Priester  
gehöret / haben sie so bald ihre Keunigkeit durch das Eiser. Opffer und  
bitter verfruchte Wasser / (davon Moses redet Num. V.) nach alten  
Brauch erforschen und exploriren lassen / wie denn auch zuvor selbst /

E

da

da Maria ist schwanger gangen/ sol per aquas redargutionis rein und  
 unsträflich erfunden seyn worden. Da aber Maria aus aler Zeug-  
 nig und Dwehrung rein gewesen/ haben sie sich hart entsezer/ und  
 gesprochen: So sage nun lüthlich/ daß wir hören aus deinem  
 Munde/ wes Sohn dieser Jesus sey/ auff daß wir ihn einschreiben  
 mit seine Eltern Nahmen/ wie du uns sagest. Darauff Maria ge-  
 antwortet: Ich habe ihn warhaftiglich gebohren/ aber auff daß Er  
 hat Er keinen Vater/ denn was mir der Engel gesagt hat/ daß Er  
 sey Gottes Sohn. Darumb so ist er auch mein Sohn/ die ich ge-  
 nennet bin Maria/ und ist Gottes Sohn. Demnach haben die Prie-  
 ster ihr Buch gebracht/ und also darein geschrieben: Auff diesen Tag  
 ist verschieden unser Witt. Priester/ ein Sohn des und dieser/ und ist an  
 seine statt aus gemeiner Wiltühr erweltet worden der Priester Jesus/  
 welcher ist des lebendigen Gottes Sohn/ und ein Sohn der teutschen  
 Jungfrauen Maria. Dieses Buch ist im Tempel behalten und von  
 den Obersten verwahret/ bis zu der Zeit/ da Jerusalem ist zerstöret  
 worden/ von dannen es dann in die Stadt Iberias ist gebracht worden.  
 Veruntamen hunc librum ita occultari à Judæis affir-  
 maffe refertur, ut nullâ violentiâ eum sibi eripi permif-  
 suri essent.

S. XXIV.

Idem etiam illud narratum me legere memini apud  
 Jacobum Ayerum in dem Historischen processu juris,  
 in welchen sich Lucifer über Jesum/ darumb/ daß  
 er ihme die Höllen zerstöret/ belaget/ Part. II. C. 10. Sa-  
 crum quidem Scripturarum Codicem de eo nil quid-  
 quam reterre in propatulo est, ut idcirco tota ista relatio  
 non immeritò suspecta habenda sit, imo vel fabulis for-  
 tassis rectè annumeretur. Interim laudato *Selmeccero* non  
 penitus improbabilis res visa fuit, cum Christus publi-  
 cis in locis docuisse sacraque tractasse legatur. Inde ver-  
 ba ejus sunt: Diese der Griechhen Historia kan wohl war  
 seyn/

seyn / sonderlich weil auch im Luca geschrieben stehet /  
daß Christus im Jüdischen Lande in ihren Synagogen  
und Schulen gelehret habe / und sey auch zu Nazareth  
nach seiner Gewonheit am Sabbath - Tage aufgestan-  
den / und habe in der Schule das Buch des Propheten  
Elaia genommen / und diesen Text mit Verwunderung  
und Entsetzung aller Zuhörer ausgelegt : Der Geist des  
HERRN ist bey mir / darumb hat er mich gesalbet und  
gesond zu predigen das Evangelion den Armen etc.  
Solches wäre ihm nicht zugelassen worden / wo er nicht  
ein Priester und Lehrer gewesen wäre / so wenig noch  
heutigs Tages bey Christen einem gestattet wird öffent-  
lich zu predigen / er sey denn dazu beruffen. Daher  
auch Josippus schreibet / der bald nach der Apostel Zeit  
gewesen / daß Christus im Tempel mit den andern Prie-  
stern die Gottes Dienst und Opffer gethan habe. Ita qui-  
dem non omni prorsus probabilitate hæc res destituta  
videtur, attamen Scripturæ S. Testimonio carentes  
non nisi conditionatum habendum argumentum no-  
strum volumus. Si Christus is fuit, qui tuisse dicitur,  
Sacerdos rite electus & constitutus, atrox admodum,  
quæ per alapam illi illata, injuria fuit, juxta §. XXII.

§. XXV.

Sed incertis dubiisque suo loco suisque Autoribus  
ac assertoribus relictis, ad certiora & indubitata ut ite-  
rum nos convertamus, consideremus præsentem, qui  
tunc fuit, Christi statum, nec deerunt ulterius osten-  
tura, quam gravis ipsi facta per alapam injuria sit. Tem-  
pus namque, quo passus eam est, etiam cogitemus, quip-  
pe quod actionis injustitiam, secundum Moraliæ Do-

E 2

stores

cores, augere non leviter solet. Falso accusatus Christus erat, agnoscebat se justissimum, accusatores suos injustos, iudices injustissimos, nullius patrocinio dignabatur, nemo, quod moris alias apud Judæos erat, antequam quis capitis damnaretur, (vid. Hofman. Diss. de Proc. Crimin. Synedr. Magn. adversus Salvatorem nostrum §. 17. 18.) contra iniquitatem iudicii protestabatur, omnium mentes huc unice, ut morte ipsum afficerent, directæ erant, hinc dira mors & ignominiarum plenissima ei imminebat, hinc pene ineffabili dolore angebatur; & ecce! jam bipedum nequissimus justissimo Salvatore alapam impingit. Nefandum facinus! Sic dolorem auget, sic injuriæ injuriam superaddit. Inter promiscua, ad quæ de jure Naturæ obligantur homines, humanitatis officia etiam illud est, quod afflictio addenda afflictio non sit. Qui ergo peccaverit hominibus ille nequam, facillimè agnoscitur. Idque propter gravius peccavit, quod lite adhuc pendente innocentem percussit. Innocens enim erat Dominus, variorum quidem criminum accusatus, ast nullius convictus. Nihil probatum erat, nihil probari poterat. Qui contra ipsum producebantur, testes, falsi erant. Et nihilominus ceu abjectissimus servus ac sceleratissimus mortalium tractabatur. Quid est, obtestor te, injuriâ affici, si hoc non est?

§. XXVI.

Locum, quo hæc peracta, nunc etiam adspiciamus ordo postulat. Ad iudicem ductus Christus erat. Iudiciorum, Sanctitatis Scholarum, magnam oportet habere reverentiam. Nec iudicis, justitiæ Sacerdotis, minor est auctoritas. Inde iudicii loco magna concilia-



124.  
ciliatur, omnes apud Gentes, præ reliquis prærogati-  
va, multa debetur reverentia. At vero eorum nullâ  
habitâ ratione, in loco sacrato, in conspectu Pontificis,  
servus malitiosè Jesu alampam dabat. Equidem facinoris  
injusti justas videri vult habuisse causas; sic enim fieri  
solet, ut malitiam probitatis pallio mortales tegant.  
Sed vana hæc persuasio, imò vanissima, nulla. Inter-  
rogaverat Pontifex Dominum Jesum de discipulis suis  
& de doctrinâ suâ. Responderat ipse: *Ego palam locu-  
tus sum mundo, ego semper docui in Synagogâ & in Templo,  
quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.  
Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid lo-  
cutus sim ipsis: ecce, hi sciunt, quid dixerim ego.* Hoc re-  
sponsum satis causæ, quare percuteret Dominum, esse  
putabat. Ex eo justifucum obducere ictui à se Salva-  
tori inflicto conabatur, dicendo: *Sicine respondes Pon-  
tifici? existimans fortè autoritatem Pontificis eo  
violatam.* Verum enim verò tantum abest, ut eo lucratus  
quidquam sit, ut illicò potius mitissimus Salvator, sed  
summâ lenitate ac mansuetudine, injuriam sibi fieri dem-  
onstraverit ipse, pessimum hominem allocutus: *Si  
malè loquutus sum, restitue de malo; Sin benè, cur me  
cedis?* Scilicet, ubi rerum testimonia adfunt, non opus  
est verbis. Ecceur itaque inutiliter ex eo quærebatur,  
quod inter omnes constabat, lippis, ut in proverbio  
dicunt, atque tonforibus notum? Producendi testes in  
re dubia sunt, & ipse Salvator in re satis cognitâ ad testes  
provocabat. Quanam igitur ex ratione sermo ipsius  
Pontifice indignus æstimandus erat? Et quis hominem  
hunc judicem constituerat inter Christum atque inter  
Pontificem? Sed hoc pacto nec ipse Pontifex, quod ma-  
jori

jori aggravaret injuriã Salvatorem, in semet desiderari posse voluit. Ejus nimirum erat malitiam pessimi servi, suã, quã pollebat, autoritate, cohibere; ast non prohibuit, quin potius non culpando scelus approbavit, adeo etiam ipse illatæ hujus injuriæ causa moralis existens. Non de jure positivo solum, sed naturali quoque vindictam in accusatos exercendi jus ei competiti soli, quem penes summum est imperium. Malè proinde privati istud sibi arrogant, pessimè ipse Magistratus in conspectu suo impunè id fieri permittit. Qui, potestatem habens objurgandi coercendique alteri injuriam adspergentem, non tamen fieri ipsam prohibet, utique ipse injustitiæ accusandus venit, ipse eundem lædere ac injuriã afficere æstimandus est. Conf. *D. Treiberi Diss. de Judæorum perversã licentiã accusatos petulantè tractandi coram judicio.*

§. XXVII.

Atque sic latis, credo, demonstratum erit, permagnã, imo maximã affectum injuriã esse dulcissimum humani generis Salvatorem, dum alapa pulcerrimæ ipsius faciei infligebatur. Hoc ipsum quoque sufficienter proposuit *Bened. Aretius Comment. in Evang. Johan. ad h. l.* de eo ita differens: *Considera jam hic facti indignitatem. Primum in foro spirituali nihil poterat indignius committi. Nemo adhuc de Christo quidquam protulit, nulli testes auditi sunt. Et forum hoc Ecclesiasticum sanctissima debebat esse Schola justitiæ & pietatis. Contra locum ipsum ergo graviter peccatur ab adulatore. Secundò. Lis pendebat adhuc. Cavent etiam leges Civiles injurias privatas lite pendente. Tertio. Justa fuerat Christi provocatio ad*  
Audi-

127.

*Auditores. Quarto. Testes etiam necessarii, unde infra sine testibus non possunt procedere, & cum veros non habeant, falsis utuntur. Quinto. Accedit quod hic non erat Judex, non est Magistratus ille famulus; peccat in ipsum ordinarium Magistratum, cujus munus invadit. Sexto. Non iustus id fecit. Septimo. Christus in vinculis est, & adstat ligatus, auditurus sententiam mortis. Magna ergo impietas in homine fuit. Nemo latronem etiam ligatum sic tractaret. Porro, non solum assentator peccat in Christum: sed Pontifex quoque qui non prohibet, non objurgat, non punnit tantam temeritatem, & carcere dignam. Connuet impius Pontifex, ubi erat opus sercitate.*

§. XXIX.

Cum his quidem finem imponere Dissertationi meae animus erat, at scribenti duo obvenere mihi dubia, praeter solutas haecenus exceptiones, adhucdum removenda. Fortè non adeò magnam hancce, quæ illata Salvatori est, injuriam reputabit, qui, in consuetudinem apud Juda os abiisse, pervaderi sibi passus est, accusatos coram judicio malè tractare, confirmatus eà in opinione ex *Deut. XXV. 2.* quando dicitur: *Si enim, qui peccavit, dignum viderint plagis: prosternent, & coram se faciunt verberare.* Equidem, consuetudinem rationabilem legis instar esse, me non fugit, siquidem in jure Justiniano, §. 9. *J. de J. N. G. & C. aeterni mores,* dicitur, *consensu ventium comprobati, legem imitantur.* Veruntamen non omnis consuetudo statim rationabilis est, neque statim legis vim jure meritoque nancisci potest. Quis enim injustum justum pronunciare auserit? Sed neque consuetudo illud fuit, quin potius solummodo

modo mera licentiâ; at perversa, culpanda valdè atque damnanda. Ipsi iudices in culpâ fuere, qui nequissimorum fervorem non repressere petulantiam. Locus Deuteronomii adductus, nihil plane heic probat. Etenim verberandos tantum dicit esse accusatos, qui, quod plagis dignum, peregerint. Neque id ex propria ministrorum auctoritate, sed iudicis iussu. Num verò Christus ullum, quod plagas meritum, facinus perpatravit? Minimè! Num iussus erat Servus, ut Dominum percuteret? Nequaquam!

§. XXIX.

Ultimo jam loco quid forsàn Seneca *L. de Constantiâ Sapientiâ; sive quod in Sapientem non cadit injuria, Cap. IV.* hac in re pronunciaturus sit, audire gestimus. Ita verò fatur: *Dividamus, si tibi videtur, Senecæ injuriam à contumeliâ. Prior illa naturâ gravior est: hæc levior, & tantum delicatis gravis, quâ non leduntur, sed offenduntur. Tanta est tamen animorum dissolutio, & vanitas, ut quidam nihil acerbius putent. Sic invenies feruum, qui flagellis quam colaphis cedi malit, & qui mortem & verbera tolerabiliora credit, quam contumeliosa verba. Ad tantæ ineptiæ perventum est, ut non dolore tantum, sed doloris opinione vexemur: more puerorum, quibus metus incutiæ umbra & personarum deformitas, & depravata facies. Lacrymas vero edocant nomina parum grata, & digitorum motus, & alia quæ impetu quodam erroris improvidi refugiant. Sic igitur juxta hæc nihil mali alapa Christo datæ infuisset, nisi quod ei ineffe existimaverit ipse, quodque ab ejus opinione solâ, sed vanâ, injuriosum habitum fuerit; præsertim si nullus dolor*  
phy.

129.  
physicus comitatus fuerit eandem. Ast non solum  
patientis opinionem alapam facere injuriosam superius  
jam demonstratum est, ostenso antea, factis quoque  
contumeliam alicui fieri posse. Abs omnibus com-  
muniter contumeliam & consequenter injuriam in-  
ferre alapa ducitur. Neque id sine ratione. Facies  
enim honoratissima corporis pars est, ut vel ipse DEUS  
vultu erecto hominem à brutis, quorum terram ver-  
sus declinantia ora sunt, quoad externam corporis spe-  
ciem, distinctum voluisse videatur. Eam autem no-  
bilissimam, eam honoratissimam hominis partem læ-  
dere, numne injuriam inferre est? Fassi quidem su-  
mus non omnem alapam injuriosam esse, verum,  
si intentio lædendi adfuerit, satis est injuriarum, quod  
eam comitatur. Ad contemptum enim despectumque,  
de quibus loquimur, infligi alapæ solent. Et quemad-  
modum ordinariè osculum amoris, incurvatio cor-  
poris ac pilei detractio honoris; ita alapa con-  
temptus signum habetur. Hoc itaque respectu habito,  
minus inhonestum est verberibus, quam alapis cædi.  
Quamquam eò abjectissimi animi homines reperiantur,  
quos ejusmodi contumelias perferre videas, alii tamén  
magis generosa gerunt pectora, ut vel mortem ipsam,  
quam contumelias, perferre mallerent. Neque Sapien-  
tia heic obstat ipsumve prohibet. Nam & sapientis est  
contumeliam sibi adpersam abstergere, ad quod de-  
jure Naturæ obligati utique sumus. Quamobrem Chri-  
stus etiam non quidem factis, tamen verbis, contra  
eandem sese defendit. Iterum idcirco iterumque sum-  
mè injuriosa fuit, quæ Christo Salvatore nostro impa-  
cta alapa est.

F

§. XXX.

AMICE LECTOR! Mireris jam perverſi ho-  
minis malitiam; mireris maximam Chriſti patientiam.  
Cogites quotidie, quantum injuriarum pro peccatori-  
bus nobis ſuſtinuerit juſtiſſimus Salvator. Ceterum  
has qualeſcunque meditationes meas ut æqui bonique  
conſulas, iterum iterumque obnixè rogatum Te velim.  
Quas Tibi non diſpicuiſſe ſi percepero, ad majora me-  
lioraque calcar mihi addetur; ſin non placuiſſe, ſum-  
mo annitar opere, ut in poſterum ab iis mihi caveam,  
quæ cenſuram merentur. Interim hac vice finio Jo-

hanneo iſthoc: τῷ κυρίῳ ἡμῶν ἰησοῦ χριστῷ, τῷ ἀγαπήσαντι  
ἡμᾶς, καὶ λύσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι  
αὐτοῦ· καὶ ἐπίσηεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ θεῷ καὶ  
πατρὶ αὐτοῦ· αὐτῷ ἡ δόξα καὶ ἡ κράτις εἰς ἰῶς  
αἰῶνας τῶν αἰώνων. ᾠμην.

Apocalypſ. 1, 5, 6.



Rostock, Diss., 1704-05

ULB Halle 3  
004 505 76X



Sb.

f







1704.1.

J. C. A.  
 DE  
**A INJU-  
 CHRISTO**  
**INFLICTA,**  
 VII. 22.  
**NATURÆ,**  
 S CONCEDENTIBUS,  
 ÆSIDIO  
**NC. ALB.**  
**INI,**  
 OL. CAND.  
 ADEMIA ROSTOCHIENSI,  
 IV. D. MAJI,  
**RIO MAJORI**  
**TURUS EST**  
 & R.  
**R WEDSON.**  
 OGII,  
 GI, SEREN. PRINC.  
 TYPOGR.

